


*Linnaea*, in Iconibus Belleval est certè eadem nostrata, sed delineata secundùm figuram C. Bauhini, nec ipse vidit plantam.

*Justiciam* dicit Houstonus, nec meum nomen est. Semina mitto *Rhabarbari*, sub dio serenda.

*Imperatoricæ* semina autumnò legam.

*Abelmoschi* mitto nonnulla semina, sed in caldario serenda.

Pauca habeo synonyma in *Speciebus* meis.

*Papilio*, *Morio* dictus, vivit, dum larva est, in societate; nec potest pedibus incedere, antequàm viam sibi paravit ore, quo filum ducit more  ut super hoc ritè incedat.

*Phalena*, 914 *Fauvæ Succ.*, quæ consumit apud nos strobilos abietis, devastatur ab *Ichneumone*, qui ob magnitudinem, foramina curva intrare nequit, hinc instructus caudâ longâ, quâ ovum imponit larvæ, quod eam consumit; ne verò hic nimium augeatur est minimus *Ichneumon*, qui intrat anfractus et ponit ovum super larvam *ichneumonis* majoris, et eam consumit, atque super ejus cranium sibi nidum construit.

Immensa pluviam copia decidit apud nos per 14 dies. Plantæ Hispanicæ, per semina D. Loeflingii ad me delatæ, me quotidie excitant; sunt inter has minimas variæ pulchellæ et verè novæ.

Quæso, etiam hæc æstate examines stamina